



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R.P. Thomæ Młodzianowski, Poloni, Societatis Jesu,
Prælectionum Theologicarum Tomus ...**

De Peccatis Et Gratia, Fide, Spe, Et Charitate

Młodzianowski, Tomasz

Moguntiae, 1682

Punct. Diff. 3. Refelluntur alia inconuenientia.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-82969](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-82969)

re jam operatione partiali voluntatis, addat tum primum suum concursum determinatè Deus, cum ipsa illa operatio & actus secundus, per nos proficiscatur ex illo actu primo, quem complet Deus, oblatione conditionatà auxilii. Hinc illius Propositionis pro statu conditionato, *vellem concurrere si creatura se determinaverit*; sensus est iste: Vellem committere creaturæ usum meæ omnipotentia, ad usum creaturæ conditionatum, vel ad comproducendam operationem conditionatam. Certè enim illud si non significat præcedentiam determinationis creaturæ, sed coexistentiam usûs auxilii, cum operatione, & operationis cum usu auxilii. Imaginare illud quod in simili, dictum i. parte disp. 5. num. 330. quòd creatura potens sit agere independentè à Deo, eo casu, non aliud requireretur à creatura, quàm ipse usus suæ potentia. Ita quia Deus commisit usum sui concursus creaturæ, hoc ipso, ponente operationem conditionatam creaturæ, ponitur unà usus concursus Dei conditionatus. Porrò quando committit Deus, usum suæ omnipotentia ad operationem conditionatam, committit ad operationem hanc vel illam sub disjunctione, quam disjunctionem significat illud ly *si se determinavit*.

Quod si quæras quomodo ille actus voluntatis producat à voluntate, sine determinato concursu, redibit responsio & hinc contra Gonet, & aliàs non semel in i. par. præacta, quòd ille actus producat à voluntate, sine determinato concursu inferente vi suâ, ut non nisi hoc velit voluntas, sed non proficiscitur à voluntate, sine determinato, hoc est, sine determinatè oblato concursu, & qui sit determinatus ad danda à parte Dei omnia complementa agendi, modò oblatione ipsius utatur voluntas, & à parte Dei oblatio illa determinata, determinavit concursum illum, à parte autem creaturæ determinavit exercitium ipsum libertatis, cui ita in manu consilii posuit Deus concursum, ut de illo disponat, quasi de dono jam sibi oblato.

Conceditur præterea quod determinatio in actu secundo, sit ipse consensus voluntatis, sed ille identificatur quidem cum concursu Dei simultaneo spectato in actu secundo, si quidem est ipse actus voluntatis dependens à Deo, sed non identificatur noster consensus cum concursu Dei, in actu primo spectato, qui est ipsamet omnipotentia divina, parata concurrere, creaturæ volente ponere operationem: unde Deum expectare si voluntas se determinet in actu secundo, non est expectare, an ipsemet Deus concurrat & dicere: si ego concurram determinatè ad consensum, concurram; sed est dicere, decerno ut mea omnipotentia, sit parata suo auxilio comproducere cum voluntate, actionem, & expecto, ad quid meo concursu utetur, quod certò non est videre consensum jam factum, & tunc primum velle influere in illum.

Negatur denique quòd objectum scientia conditionatæ ita per nos componatur, ut pertineat ad scientiam necessariam, vel simplicis intelligentia, de quo vide i. parte disp. 4. n. 120. Objectum enim scientia conditionatæ, est quidem hoc, si Petrus tali vocatione excitetur, nec illi defit concursus meus ad consentiendum, consentiet, sed ly concursus meus, debet spectari in actu primo, qui si spectetur in actu primo, concursus causæ primæ sic spectatus, non identificatur concursui causæ secundæ, cum concursus Dei in actu primo spectatus, sit ipsa omnipotentia, quæ non identificatur creaturæ. Unde illius dicti, si concurrero, consentiet, non est sensus, si consentiat consentiet, sed si omnipotentia mea erit parata, ut eâ utatur homo ad consentiendum, & homo eâ usus fuerit, consentiet, quod certè nihil absurdi habet. Quanquam rigorosè loquendo, concursus Dei præparatus non spectat ad objectum scientia conditionatæ, cum illud potiùs præcedat. Ponit inibi aliquas phrasas Gonet, sed illa argumentum non continent.

Punctum Difficultatis 3.

Refelluntur alia Inconvenientia.

Conceditur in nostris principiis, contra quod urget Gonet, in sequela prima, quòd ad ratione specificam determinet se homo, sed non ita quin ad illam determinatione concurrat Deus, consequenter non attinget creatura in actu, aliquã rationem priorem, quam non attingat Deus.

Negatur sequela secunda, voluntatem divinam esse posteriorem humanâ, negatur voluntatem humanam, determinare se, ad speciem actus, quin in eandem determinationem influat concursus divinus. Negatur quòd expectet voluntas divina humanam, quod repetitò inculcatum est.

Negatur sequela tertia, quòd voluntas creata determinet & veluti cogat divinam, cum Jus indemnitas in suam libertatem acceperit ex Dei decreto, aptante etiam concursum indifferenter, quæ ipsa voluntas divina subjicit sibi humanam, ratione collationis virium, & pro statu absoluto selectione auxilii, & quia non potest operari nisi ex gratia. Nec admittimus quòd debeat præcedere ex viribus naturæ initium salutis, hinc per nos, non ideò homo adjuvatur à Deo quia vult, sed ideò vult quia adjuvatur, quod pluribus supra explicatum.

Negatur sequela quarta, quòd per nos aliquid melius & perfectius attribuatur voluntati creaturæ, quàm divinæ; nam licet ratio specifica actus, sit nobilior in ordine ad nostras intentiones individuali, (in re enim utrumque hoc idem est) quia tamen determinatio ad speciem actus ita ponitur à creatura, ut in illam determinationem influat, eamque causet Deus, ideò per nos non tribuitur quidquam melius & perfectius voluntati creaturæ, quàm divinæ.

Negatur Confirmationi, quod decretum & auxilium indifferens, det solum possibilitatem volendi, & quod ipsum velle, non sit ex decreto, & ex auxilio; licet illud decretum & auxilium, non sit prædeterminans, consequenter falsum est, quod priores Nos ipsos faciamus in opere salutis, posteriorem Deum.

Negatur Sequela quinta, quod per nostra principia destruat libertas. Concedimus, quod si determinaret Deus, non solum ad individuationem actus, sed etiam ad specificationem, auferretur libertas per multorum nostrorum sensum. Sed quid ad hoc in nostris principiis respondendum, transcribatur ex 1. parte disp. 5. num. 327. Ubi etiam ostenditur, quomodo non sit Deus causa peccati. Respondendo autem etiam in principiis aliorum. Negatur quod si Deus offerat concursum ad elicendum actum peccaminosum hunc in individuo, hoc ipso determinet ad aliquam specialem malitiam, ad quam non est ex sua malitia & defectibilitate, determinata voluntas. Conceditur quod malitia quæ sumitur ex circumstantiis aggravantibus intra eandem speciem, non pertineat ad rationem specificam actus in genere moris, pertinet tamen ad rationem specificam actus, in genere eligibilis, h. e. ut amet voluntas hanc circumstantiam aggravantem & vertetur circa illam speciem, estque illa malitia eligibilis, quia attingibilis per notitiam nostram, quo autem actu debeat in individuo illa eligere, ad hoc non pertingit notitia humana, adeoque nec electio. Cæterum, electio illius circumstantiæ aggravantis, & appetentia illius speciei, non spectat ad rationem specificam in genere moris, quia hæc habetur ab eo, quod est principale, circumstantiæ autem illa non habeat rationem principalis, unde ulterius dicitur quod latitudo gradualis, sit etiam eligibilis à voluntate, vult enim voluntas magis adhuc & magis affici malo, licet quæ illa sit futura in individuo latitudo, hoc à nobis nec noscibile nec eligibile sit.

Conceditur quidem actum odii Dei, secundum rationem specificam abstrahere à latitudine gradualis, sed negatur quod illa latitudo, non possit specificare actum feligentis voluntatis, licet non possit specificare quoad individuationem hujus latitudinis.

Instat Gonet. Decretum conditionatum dandi concursus voluntati creatæ, si ipsa voluerit se determinare, involvit contradictionem, quia implicat contradictionem, promitti conditionaliter id, sine quo talis conditio non potest impleri. Sed voluntas creatæ, in quocunque rerum ordine constituatur, non potest velle, nec se determinare sine actuali Dei concursu. Ergo concursus Dei non potest promitti, vel decerni sub conditione, quod voluntas humana velit, aut se determinet.

Respondetur. Ut argumentum probet

sequelam, & intentum evincat, debuisset in consequenti poni. Ergo concursus Dei non potest promitti sub conditione, quod voluntas humana velit, aut se determinet sine actuali Dei concursu. Quo posito conceditur totum. Illud enim si se determinet voluntas, non potest independens à concursu divino, licet ponatur independens à prædeterminatione. Quod si non ponitur independens à concursu divino, nulla est implicancia, quæ ex nostris principiis sequatur. Unde in nostris principiis, si quis diceret puero debili, & impotenti ad levandum pondus, juvabo te, si illud tollas, procul dubio irideret illum, sed non irideret si diceret, juvabo te in levando pondere, si velis illud levare: ita irideret Deus; si diceret juvabo te, si sine meo concursu volueris, non irideret si diceret, juvabo te si volueris facere, concurratque tecum ut velis, ut facias.

Quod addit in Confirmatione 2. Solutum videbis 1. part. disp. 4. à num. 121. ubi agitur de objecto scientiæ conditionatæ.

DIFFICULTAS III.

Notantur quedam contra Responsiones ad Argumenta.

Solve conatus est Gonet nostra Argumenta, quo robore, hic pensandum.

Punctum Difficultatis 1.

Proposuntur notanda.

Opposuit sibi Gonet, aliqua nostra sententia argumenta, eaque solve conatus est. Attendemus hic ad robur solutionum. Eruprimis ar. 4. §. 1. proponit argumentum, quod fatum invehatur per prædeterminationem, tollatur libertas, obtundatur studium virtutis, &c. & postea parag. 2. ostendit similia esse proposita à Semi-Pelagianis Augustino, sed in dictis supra contra Gonet, de scientia conditionata subintratum, ostensum est, contra nostra principia, quia eadem cum principiis Augustini, idem posse obijci. An verò consequatur fatum a quo ex prædeterminatione, quod debeat rejici, & alia inconvenientia sequantur, hic notandum venit.

Noro 1. Contra dicta ar. 5. duplex posse distingui fatum, unum Ethnicum aliud Christianum, ut ponit inibi Gonet. Conceditur fatum Christianum, non præjudicare libertati, non enim aliud est, quam ipsa Dei providentia aptans libertati, contingentes causas, & tamen infallibiliter obtenturas eventum, sed negatur, si ponatur Prædeterminatio, salvandam esse libertatem, cum illa posita, impossibile sit non sequi eventum, quam vim habebat fatum Ethnicum. Conceditur fatum Christianum prædeterminare omnia juxta naturam & conditionem

R. P.
THE ML
ZIANOWS
T. B. M. S.
D. V.